GRAVAMINA ~~Insulan~~ Insularum maioris et minoris ad Castrum Marieburgen. spectantium.

1 Contra Privilegia novus census quinq marcarum de quo-libet manso, ultra et praeter veterem censum, Insulanis imponitur. Repugnantibusq captivatione et squalore carcerum pessimorum, obsignationibus horreorum, triturationibus frumentorum, ablationibus et pignorationibus equorum, et alijs diris minis extorquetur.

2 Termini solvendorum censuum per officiales saepissime anticipantur, contra Privilegium.

3 Praeter istum novum censum etiam ad expediendos milites in loca remotissima contra Sarmatas. Moscos et Livones extra terrarum Prussiae limites contra Privilegia coguntur. Rogant cum publicis aggerum conservandorum oneribus (a quibus caeterarum terrarum rustici liberi sunt) satis superq aggraventur ut a militaribus liberi sint.

4 Iuxta Privilegium et veterem consuetudinem a quatuor mansis unum iugerum sive morgij graminis tantum incidere et vehere tenentur. Nunc vero ad duo iugera compelluntur.

5 Contra Privilegia agros praediorum arare, novisq sepibus suis impensis munire coguntur.

6 Similiter contra Privilegia a quatuor mansis duo iugera frugum demetere compelluntur.

7 Secundum Privilegia et antiquitus observatam consuetudinem, non nisi ad focum Castri Marieburgen. a quolibet manso censuali unum currum lignorum bene oneratum vel loco eius unum magnum trabem tantum vehere sunt astricti, de caetero ad nullas alias lignorum vecturas obligati sunt. Anno autem 1522 inter Divum Sigismundum Regem et Insulanos contractus et ordinatio facta est talis, ut pro quolibet tali curru quinq

fen

grossos solverent, quibus solutis nullo modo ad vecturam
praedictorum lignorum cogerentur. In contrarium huius con:
tractus et ordinationis Insulani de quolibet curru non
quinque, sed septem grossos solvere, et nihilominus tamen
ad colturas cerevisiarum, officinas lateritias, et cementa:
rias non pro usu castri sed ad cauponandum et venden:
dum ligna ex sylva Marieburgen, quae propemodum exci:
sa est, ultra tria miliaria, quantum et quandocunque
officialibus libuerit, etiam non attenta viae deterrimae
difficultate cum interitu equorum suorum vehere co:
guntur. Petunt ut iuxta Privilegium solutis quinque
grossis de quolibet manso, sint liberi de illis lignorum
vecturis et de superadditis duobus grossis, vel ut
vectura unius currus de quolibet manso praestita sint
liberi de exolutione septem grossorum et de super:
additis lignorum vecturis.

8 Unum currum fimi ex Castro Mariaeburgen de quatuor
mansis iuxta Privilegium et veterem consuetudinem
evehere tantum sunt astricti, nunc vero etiam ex praedijs
dijs vehere coguntur omnem fimum.

9 Lapides ex quibus calcem urunt (non pro usu Castri sed
ad vendendum) navigijs Gedano ad villam Damerow
advectos, inde Mariaeburgum ultra duo miliaria, ad offi:
cinam cementariam vehere coguntur, cum ad ipsum Castrum
vehi possent ijsdem navigijs, neque ad vehendas alias
materias obligati sunt, quam quae ad aedificationem
arcis et privatorum convertuntur, non etiam ad eas quae
lucri causa venduntur.

10 Frumenta ex praedijs ad Castrum, et ex Castro rursus Elbin:
gam Gedanum vel ad traiectum Schöneberger vehere
coguntur. Iuxta Privilegia vero et antiquitus ob:

servatam consuetudinem ex pdijs ad Castrum tantum via bona existente vehere astricti sunt. Idem existente aqua magna Officiales Castri naviigijs demittebant quocunque voluerunt parva vero existente aqua Insulani vel ad Montorn vel ad Dameron via bona existente ex Castro vexerunt accepta ab officialibus mercede vecturæ a qualibet lasta viginti grossis.

11 Aliquot centena vasa anguillarum salitarum Ibrorum ultra 17 miliaria vehere, aut pro imposito pretio eorum immoderato retinere coguntur sive bonæ sive corruptæ et malæ sint contra Privilegium.

12 Contra Privilegia et antiquum morem Sculteti praeduodelarum onere gravantur.

13 Multi mansi agrorum in honorem Dei ad parochias dati sunt, illi officialibus et alijs secularibus personis conferuntur, unde sequitur quod pastores nullam corporis sustentationem habere possint, atque Insulani proprijs suis sumptibus eos alere necesse habeant, petunt a prophanis rursus ad pios usus restitui.

14 Hactenus usi sunt religione confessionis Augustanæ. Nunc vero in nonnullas parochias Papisticæ religionis sacrificuli introducuntur eiectis Evangelicis. Humilime petunt se conservari in usu religionis Augustanæ confessionis.

15 Pullos duos a quolibet manso vigore privilegij pendere vel uno grosso quemlibet redimere tenentur. Nunc quatuor exiguntur pulli, neque minoris quam duobus grossis redimendum dare volunt officiales

16 A quietatione, soluti census et praestitarum vecturarum aliarumque angariarum, item ab inscriptionibus contractu:

um et multis nominibus appellata varia salaria exiguntur
per Officiales omnes, sine modo fere, nonnunquam 3, 4, 5, 6,
7, 10 Vngarici contra Privilegium.

17 Sylua Campenouiensis ex privilegio antiquus ad minorem
Insulam pertinens in cuius etiam usu et possessione conti:
nua huc usque fuerunt hoc anno ipsis adempta est per
Officiales Castri, petunt restitui sibi.

18 Antiquus iurati seniores eligebantur a communitate illi
qui idonei esse cognoscebantur. Nunc vero officia illa
per officiales Castri venduntur etiam indignissimis
sine ulla electione in magnum insularum detrimentum.

19 Connubiorum libertas Insulanis adimitur neque nuptiae con-
ceduntur cuiquam nisi prius exoluat 8, 9 vel 10
Vngaricos Officialibus arcis Marieburgen.

20 In summa omnium fere Officialium libidini sunt expositi et ad
cuiuscunque imperata praesto adesse et parere coguntur. Quaecunque
etiam oblata occasione novae datia et collectae imponun:
tur prout nunc sub adventum Serenissimi Regis
magnae exactiones sunt irrogatae praeter vecturas et equ:
estre exercitium rusticis minime conveniens utpote qui
ad culturam agri a Deo et potestate sublimi vocati
sunt.

Humillime autem petunt, praemissa gravamina omnia et
singula contra Privilegia et antiquam consuetudinem
ipsis imposita (quibus ferendis et sustinendis sufficientes
non sunt, utpote qui alioquin satis publicorum aggerum
viginti miliaribus in circuitu comprehensorum ~~in circui~~ conser:
vatione ~~[illegible]~~, in quorum conservatione non modo Insularum
illarum sed et portuum Gedanen. et Elbingen. et

publicae totius Regni navigationis salus consistit ag-
gravati sunt) abrogari et penes privilegia et iura
sua et antiquas consuetudines, nec non in usu libero
religionis Augustanae confessionis sese conservari.

Certissimum quidem est et omnes Reipublicae amantes
idipsum testari coguntur, si cura aggerum publicorum
ob paupertatem insulanorum rusticorum, vel uno sal-
tem anno negligatur facillime Istulam perrumpere et in
Insulam totum fluvium derelicto alveo derivari posse
unde et navigationis et portuum et insulae ipsius sem-
piternus interitus subsequetur cum irrecuperabili damno
totius Regni et omnium dominiorum eidem incorpora-
torum. Talis solet esse plerumque exitus omnis nimii
quod scilicet vertatur in vicium vel damnum; testa-
tur id fabula de ansere ovum aureum quotidie ex-
cludente, quo in sempiternum privabatur dominus, ex
insatiabili cupiditate anserem occidens ea spe ut si-
mul et semel omnia ova quibus anserem scatere ex-
istimabat, lucrifaceret. Idem de insula et Insulanis
non ita longe verendum est, nisi gravamina ab aren-
datoribus in eos cumulata, sub quibus succumbere tan-
dem necesse est, salubri consilio S R Mtis domini
eorum clementissimi et naturalis, cuius oves pro-
priae sunt, tollantur, quod ut facere dignetur etiam
atque etiam humillime per Deum atque omnia sacra
supplicantes rogant.

S R Mtis

Humillimi subditi

Scalteti et communi-
tas Insularum maioris
et minoris Marieburgen.